

elaboratum cui titulus: *Traité de la lecture des SS. Peres.*

*Admonitio.*

Quantum Theologo necesse sit Patres legere et relegere optimè noverat illustrissimus Bossuet, qui maximam hujus studii utilitatem longo usu expertus fuit. Hinc enim hauserat eam doctrinæ copiam, eam sermonis dignitatem et magnificentiam, quæ suis in operibus elucent. Ad Patrum verò lectionem his verbis hortatur:

*Quiconque veut devenir un habile Théologien, qu'il lise et qu'il relise les Peres. S'il trouve dans les Modernes quelquefois plus de minuties, il trouvera très-souvent dans un seul Livre des Peres, plus de principes, plus de cette premiere seve du Christianisme, que dans beaucoup de volumes des interpretes nouveaux: et la substance qu'il y sucera des anciennes traditions, le récompensera très-abondamment de tout le temps qu'il aura donné à cette lecture. Que s'il s'ennuie de trouver des choses qui, pour être moins accommodées à nos courumes et aux erreurs que nous connoissons, peuvent paroître inutiles, qu'il se souviene que dans le temps des Peres, elles ont eu leur effet et qu'elles produisent encore un fruit infini dans ceux qui les étudient; parce qu'après tout, ces grands Hommes sont nourris du froment des Elus, de cette pure substance de la Religion, et que pleins de cet esprit primitif qu'ils ont reçu de plus près et avec plus d'abondance de la source même, souvent ce qui leur échappe, et qui sort naturellement de leur plénitude, est plus nourrissant que ce qui a été médité depuis. (Défense de la Tradition des SS. Peres.)*



DISSERTATIO VI.

*De Ecclesia.*

SI Ecclesiam, tanquam locum Theologicum seduntaxat, spectaremus, satis esset de illius auctoritate disserere, quæ certissimum Theologis suppeditat argumentum; sed nobis satius visum est, integram quandam Ecclesiæ notionem simul oculis subjicere, et præcipuas questiones ad eam pertinentes hic colligere, quàm eas partim in hecce Tractatu, partim in aliis disjunctas, nulloque nexu colligatas, exponere. Quidquid autem de Ecclesia dicturi sumus, quinque capitibus complectemur; primum erit de nomine et definitione Ecclesiæ; secundum, de membris; tertium, de notis; quartum, de proprietatibus; quintum, de auctoritate Ecclesiæ.

CAPUT PRIMUM.

*De nomine et definitione Ecclesiæ.*

ECCLESIAE nomen, juxta vim vocabuli Græci, ex quo derivatur, idem significat ac *Congregatio*. Juxta generalem hanc acceptionem, Ecclesiæ nomen cuilibet hominum, etiam iniquorum, societati competit; quo sensu dicitur: *Odivi Ecclesiam malignantium.* (Psal. 25. v. 5.) Ex communi verò Scripturæ, sanctorumque Patrum consuetudine, usurpatur ad exprimendam fidelium Christianorum societatem. Sic autem accepta subitur.

vel latè, quatenus Ecclesiam triumphantem in Cœlis, patientem in Purgatorio, et militantem in terris complectitur; vel strictè pro fidelium Christianorum in terris militantium societate. De Ecclesia postremo illo sensu intellecta in hac dissertatione agitur. Alias Ecclesiæ acceptiones, variasque figuras quibus, tum in Veteri, tum in Novo Testamento, designatur et adumbratur, omittimus, quia eas exponendi non semel sese dabit occasio.

Ut autem iis quæ postea dicturi sumus nulla inhæreat ambiguitas, observandum est Ecclesiam totum quoddam esse ex anima et corpore constans. Corpus Ecclesiæ sunt homines ex quibus componitur, et qui vinculis quibusdam externis colligantur, quæ sunt ejusdem fidei professio, Sacramentorum usus, legitimis Pastoribus subjectio. Anima verò Ecclesiæ est Spiritus Sanctus, qui vitam corpori et singulis membris non aridis impertit. Interiora ipsius dona, nempe fides, spes, caritas, interna sunt vincula quibus animæ Ecclesiæ plus minusve junguntur ejus membra. Prout Ecclesia spectatur, vel quoad corpus, vel quoad animam, variæ sunt apud Scriptores ecclesiasticos illius definitiones. His prænotatis, sit

#### PROPOSITIO.

*Ecclesia militans rectè definienda videtur, societas hominum viatorum et baptisatorum, à Christo Domino instituta, sive internis fidei, spei, caritatis, sive externis communionis Catholicæ, ejusdemque fidei professionis vinculis colligata, sub regimine Pastorum quorum primus est Summus Pontifex, Beati Petri successor.*

Probatur. Illa definitio legitima est, quæ complectitur quidquid ad Ecclesiæ essentiam pertinet; atqui ita se habet nostra definitio, ut singula, ex quibus constat, verba ponderanti facile patebit.

1<sup>o</sup>. Dicitur *societas hominum viatorum*, quia militantem in terra, non triumphantem in Cœlo, nec patientem in Purgatorio Ecclesiam describimus. 2<sup>o</sup>. *Baptisatorum*, quia per Baptismum datur in Ecclesiam aditus. 3<sup>o</sup>. *A Christo instituta*, quia omnis societas Christo posterior, vera non est Ecclesia. Quinimò ipsa justorum societas, qui ante Christi ministerium vixere, non est Ecclesia eo sensu quo illam hic accipimus, quanquam ad ipsam fidei et caritatis conjunctione pertinuerint. 4<sup>o</sup>. *Internis, fidei, spei, caritatisque vinculis colligata*; quæ verba à nonnullis reprehenduntur; sed immerito prorsus. Vincula enim illa interna ad Ecclesiæ naturam ita pertinent, ut qui eorum mentionem non faciunt, se corpus Ecclesiæ tantummodo, non animam spectare fateantur; quasi verò Ecclesia, cujus caput est Christus, nihil aliud esset, quam corpus quoddam inanimum? quasi verò hominem accuratè definiret, qui solam corporis machinam describeret, nullâ animæ habitâ ratione. 5<sup>o</sup>. *Externis vinculis devincta*, quia Ecclesia est societas exterior et visibilis. Tria autem, ut jam diximus, potissimum sunt externa Ecclesiæ vincula, nempe fidei catholicæ professio, sacrorum rituum, inter quos eminent Sacramenta, communio, et legitimis Pastoribus subjectio; iis enim omnibus, veluti totidem nexibus, fideles exterius junguntur, et in eandem societatem coalescunt.

Obj. cum Lannoio; ea de re non debuit fieri mentio, quæ ad Ecclesiæ naturam non pertinet; atqui Pastorum regimen ad, etc. ergo, etc.

Resp. Neg. min. Illud enim ad naturam Ecclesiæ pertinet, sinè quo talis esse non potest, qualis in Scripturis exponitur, et à Christo fuit instituta; atqui sine Pastorum regimine, Ecclesia talis esse non potest, qualis, etc. Nam ic. in Scripturis sub variis rerum imaginibus pingitur, quæ sine Præpositorum quorundam regimine consistere nequeunt. Modo dicitur *civitas supra montem posita*

9. 14.) modò *Regnum Dei*; sive *Cælorum*, ( *Ibid.* 13.) modò *Corpus Christi*, ( *Coloss.* 1. v. 24.) modò tandem *ovile Christi*, quia ipse fideles verbo doctrinæ et Sacramentis pascit; atqui nemo sibi finxerit *civitatem*, vel *Regnum*, sine iudicibus qui dissidia componant; *ovile* sine Pastoribus qui gregem regant; *corpus* pluribus constans membris, secum invicem conjunctis, sine capite cujus moderamine tota moles contineatur et cohæreat.

2°. Ecclesiam ita fuisse à Christo Domino institutam, ut à nonnullis Pastoribus regeretur, dubitare non potest, quisquis hæc Apostoli verba legerit: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* ( *Act.* 20. v. 28.) Hinc Sanctus Cyprianus Ecclesiam ita describit, ut debitam Pastoribus adhæSIONEM semper exprimat: *Illi, inquit, sunt Ecclesia, plebs sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhærens.* ( *Epist.* 69. ad Papiamum.)

Inst. Quælibet Ecclesia particularis sine proprio Episcopo esse potest; neque enim, illo moriente, ipsa extinguitur. Contigit etiam aliquandò, ut Ecclesia universalis Papâ careat, vel nonnisi dubium per plures annos habeat; ergo ad naturam Ecclesiæ non pertinet, ut sub Pastorum regimine constituta sit.

Resp. Dist. ant. Sed tunc postulat Ecclesia particularis ex Christi institutione, ut quamprimum fieri potest, à proprio regatur Episcopo, et Ecclesia universalis ut Petri successorem, tanquam caput, habeat; conc. ant. secus, neg. ant.

Licet enim fieri possit, ut Monarchia aliquandùm Rege careat, vel excitato bello civili, nonnisi dubium habeat, eam tamen esse ipsius naturam, ut Rege indigeat, nemo negaverit. Quam autem ob causam? Quia scilicet id exigit Monarchiæ constitutio, ut mortuo Rege, alter in ipsius locum sufficiatur; et quamvis, sæviente bello civili, incertum maneat, quis sit Rex legitimus, Reipublicæ tamen Regem

præficiendum esse minimè dubium est; idem de Ecclesia ferendum est iudicium, cum eo tamen discrimine, quòd Monarchiæ constitutio mutari possit, et in alium statum converti, qui Regem non postulet; Ecclesia autem non possit illam exuere et amittere naturam, quam à Christo accepit.

---

## CAPUT II.

### De Membris Ecclesiæ.

**I**BI quæritur quænam sint Ecclesiæ membra. Hanc rerò quæstionem ut certo expendamus ordine, eam sex in articulos distribuemus. Primus erit de Prædestinatis et Reprobis; secundus, de Justis et Peccatoribus; tertius, de Hæreticis et Apostatis; quartus, de Schismaticis; quintus, de Excommunicatis; sextus, de Catechumenis.

---

## ARTICULUS PRIMUS.

### De prædestinatis et reprobis.

Constat 1°. prædestinatos, qui nondum sunt in Ecclesia, in ea aliquandò extituros esse, cum extrâ Ecclesiam salus non possit obtineri, quam certò tamen consequuntur omnes prædestinati. Constat 2°. omnes reprobos in Ecclesia non esse; inter eos enim plurimi sunt infideles, Hæretici, et Schismatici manifesti, quos ad Ecclesiam nullo modo pertinere demonstrabimus.

Controvertitur itaque, 1°. utrùm prædestinati, eo ipso nomine ad Ecclesiam pertineant, quamvis nondum fortè crediderint, vel in Hæresi, aut in Schismate manifestè adhuc permaneant. 2°. An re-